



**R. P. Francisci Svarez, Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi, Et In Conimbricensi Academia Olim
Primarij Theologiae Professoris emeriti, Opvs De Triplici
Virtute Theologica, Fide, Spe, Et ...**

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1622

Sectio 5. De aliis pænis spiritualibus hæresis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93448](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93448)

mus, de sent. excom. & Extrauag. 1. §. Incendiarios, de Privileg. & propterea dicunt aliqui ex dictis Auditoribus, si sit recursus ad Episcopum, vel ad Inquisitorem, non licere aliis confessoribus absoluer. Sed hoc procederet, si facultas Episcopi non esset renocata, aut Inquisitor illam haberet in foro pœnitentiæ; suppositis autem iis, quæ diximus, non habet locum hæc limitatio, sed in eo casu absolueri poterit ordinarius confessor.

25. Tertio observandum est, absolutionem in illo articulo relinquere obligationem comparandi coram Pontifice, si pœnitens periculum illud euadat, & possit personaliter comparere. Ita sumitur ex Cap. *Eos qui*, de sent. excomm. in 6. & ratio est, quia potestas absolvendi, sub ea tantum conditione datur, & est iusta conditio, quia illo modo sufficienter subuenitur necessitati peccatoris, & periculum providetur melius animæ eius, & confilietur etiam bono fidei, & Ecclesiæ. Vnde tenetur confessor admonere pœnitentem de huiusmodi onere, & cautionem aliquam de implenda huiusmodi obligatione ab illo exigere, & communiter censent Doctores iuratoriæ cautionem esse postulandam, ut videri potest in Sancio supra in suo numer. 17. Dixi autem, si personaliter comparere possit, nam si per se non possit, non cogitur per alium, seu per procuratorem adire superiorem, ut docet Nauar. in Summ. capite 27. numero 90. ad quintam questionem, & Vgolinus de censur. Pontifici referuat. 3. p. cap. 1. sub tit. de Mortis articulo quæst. 4. nu. 1. & Sancio referens plures alios in nu. 14. Et ratio est, quia iura non imponunt hoc onus, ut videri potest in dicto Cap. *Eos qui*, & in cap. vlt. 26. quæst. 6. in Concilio Arausican. 1. capite 2. est autem onus committendi hoc negotium tertie personæ valde grave, & non carens periculo infamie in re grauissima; ideoque non est sine cogente iure imponendum.

26. Vltimo dubitari solet, an hæc necessitas articuli mortis, extra illum extendenda sit quoad alias personas, quæ moraliter loquendo, censentur perpetuo impeditæ, vel propter incurabilem ægri-tudinem, aut membrorum lationem, aut nimiam senectutem, vel paupertatem, ita ut nulla sit moralis spes, quod per se comparere aliquando ante mortem valeant. Tunc enim perinde se habent quoad impotentiam adeundi Pontificem, ac si essent in articulo mortis: ergo inutilis est expectatio illius articuli, & alioqui erit vtilissimum statim absolui: ergo moraliter videtur reputandum totum illud tempus, ac si iam mors instaret. Cur enim ille homo tanto tempore absolutione carebit sine fructu? Dubium hoc trañant Doctores generaliter de casibus referuat. Pontifici, & præsertim de casibus Bullæ Cœnæ, ut videri potest in Covarr. in Cap. *Alma mater* 1. part. §. 11. num. 15. Nauar. capite 27. num. 89. & Vgolin. supra sub dicto titulo de mortis articulo §. 4. & Sancio dicto cap. 13. num. 36. & 37. qui alios referunt inter se dissentientes, nam quidam negant, id fieri posse nisi in casibus à iure expressis: alij verò affirmant id fieri posse: non tamen à quolibet confessore, sed tantum ab Episcopo, cui ius id committit in aliquibus casibus, præsertim in violenta manuum impositione in clericum, & inde inferunt extensionem ad reliquos casus, propter similitudinem rationis, vel ex quadam æquitate naturali, seu Ecclesiastica pietate. Veruntamen omisis aliis casibus, qui nunc ad nos non pertinent: in culpa, & censura hæresis existimo non esse extensionem admittendam. Et in primis quod ordinarij confessores hoc facere non possint, à fortiori sequitur ex doctrina communi. Et ratio est, quia ius, & Bulla Cœnæ solum excipiunt articulum mortis: ergo non licet extensionem facere, cum neque necessitas alterius temporis sit æqualis, ne-

que alibi talis potestas Sacerdotibus tribuatur. Deinde idem dicendum censo de Episcopo, supponendo illam sententiam, quod facultas illi data in Concilio, sit renocata. Et ita ex vi iuris communis sentit Sotus in 4. distinct. 22. quæst. 2. articulo tertio in fine, & Sancio supra cum aliis, quia ratio facta æquè in Episcopo procedit, præsertim quia neque ex generali, neque ex speciali concessione facta Episcopo in aliis casibus, potest ad casum hæresis fieri argumentum, propter specialitatem eius iuxta supra dicta. Qui ergo in illo statu constitutus voluerit ante periculum mortis absolui, necesse est, ut vel coram Inquisitoribus modo supra dicto occultè compareat, vel per viam secretam, & tactico nomine remedium à Pontifice obtineat.

SECTIO V.

De aliis pœnis spiritualibus, quæ propter hæresim incurruntur.

Excommunicationis pœnam paulo fusiùs declaravi, quia vniuersalis est, & ad forum pœnitentiæ maximè pertinet, nunc breuiter ceteras spirituales pœnas percurram: tum propter temporis angustias: tum etiam quia minus vniuersales sunt, & magis iudiciales. Post excommunicationem ergo prima pœna est irregularitas, de qua dubitari posset, propter generalem regulam iuris, quod irregularitas non incurratur, nisi in casibus à iure expressis: hic autem casus non videtur in iure expressus. Nihilominus dicendum est, per hæresim statim ipso iure fieri hominem irregularem, quantumcumque sit hæresis per accidens occulta. Hoc statè probavi expendendo iura in tomo 5. disput. 43. sect. 1. ad quem locum lectores remitto. Et videri etiam potest Penha 3. part. Directorij comment. 162. Sanc. lib. 2. Decalogi cap. 25. Farinac. de hæresi quæst. 189. nu. 43. & quæst. 192. à num. 67. & Mendoca lib. 3. ad Conc. Elibertin. cap. 28. & 29. ex quo Concilio can. 51. nostra assertio colligitur, & ex Bulla Clementis VII. supra citata. Et declaratur breuiter: nam hæc irregularitas in duabus partibus consistit. Prima est inhabilitas assumendi ordines, quæ laicos comprehendit quoad omnes ordines, & clericos inferiores quoad ascensum ad superiores ordines. Et hæc pars habetur expresse in dicto can. 51. & in aliis iuribus citandis.

2. Secunda pars illius pœnæ est inhabilitas ad ministrandum in ordine iam suscepto, quæ ad clericos tantum pertinet, & hæc non videtur tam manifestè in iure expressa: nihilominus tamè certum est, etiam quoad hanc partem hanc irregularitatem incurrere, quod sentiunt communiter Doctores; tum quia communiter solet esse coniuncta cum prima: tum etiam quia hoc semper obseruauit Ecclesia, ut sumitur ex Felice Papa epist. 3. & Innoc. 1. epist. 18 ad Alexandr. cap. 3. & epistola 22. ad Episcopos Macedon. cap. 4. & ex Leone Papa epistola 3. ad Iulianum, & aliis relatis 1. quæst. 7. & ex Cypriano epistola 68. qui refert, ita fuisse decretum à Cornelio Papa, & sumitur ex epistola eius, quam refert Eusebius libro 6. c. 35. & ex Augustino epistola 50. & libro de vnico Baptismo c. 12. vbi dicit, aliquando Ecclesiam in hoc concedere indulgentiam, ut in Concilio Nicæno, & Ephesino: tamen generalem regulam esse, quam posuimus: vnde certum est, aliud non licere sine speciali dispensatione, quam solum Pontificem posse concedere in citato loco ostendi, vbi etiam probabilis duxi, reuocaram esse facultatem à Tridentino concessam Episcopis ad dispensandum, licet oppositum non improbabili-ter velint Sanch. supra numero 18. Farinac. de hæresi, quæst. 192. num. 79. Garcia part. 11. capite 10. num. 86.

Secunda

De pœna
infamiz.Probatur ex
iure.Et ex ratio-
ne.An hæc pœ-
na incurra-
tur ipso fa-
cto.Dubium
subortum
resoluitur.De pœna
spiritualis
potestatis
ordinis.r. Opinio
antiqua.

3. Secunda pœna est infamia, quæ videri potest temporalis magis, quàm spiritualis, habet tamen spirituales etiam effectus, & valde interna est, & coniuncta cum irregularitate, & ided inter has pœnas illam numeramus. Est igitur certum, hæreticos tam iure Canonico, quàm Ciuili esse infames. Ita sumitur ex Cap. *Infames* 6. quæst. 1. & ex Cap. *Alieni* 2. quæst. 7. quæ sunt Stephani, & Dionysij Pontificum. Item ex Cap. *Excommunicamus* 1. paragr. *Credentes*, de Hæret. vbi etiam fautores hæreticorum, qui intra annum non resipiscunt, declarantur infames: ergo multo magis ipsi hæretici. Item ex Cap. 2. paragr. *Hæreticus*, & Cap. *Statum* 2. de Hæretic. in 6. vbi additur, hanc infamiam redundare in filios vsq; ad 2. generationem per lineam paternam: per maternam autem tantum in prima, li parentes in errore pertinaces moriantur. Præterea imponitur hæc pœna in Authen. *Gazaros*, C. de Hæret. & alij Iuristæ putant esse antiquiorem ex lege *Cunctos populos* C. de Summa Trinitate. Ratio autem huius pœnæ clara est, quia crimen hæreticis est valde odiosum, & infame ipso facto, in populo Christiano: ergo merito illi addita est legalis infamia per vtrunque ius humanum. Consistit enim hæc infamia in hoc, quòd infamibus ad omnes dignitates portæ clauduntur, vt dicitur in regul. *Infamibus* 88. de Regul. iur. in 6. hæretici autem merito redduntur inhabiles ad dignitates, officia, & beneficia, vt in dictis iuribus dicitur, quia ita expedit, & ad vindictam tanti criminis, & ad honorem fidei, & ad fidelium securitatem. Vnde fit, vt hæc pœna omnes comprehendat tam laicos, quàm clericos: tam ignobiles, quàm nobiles, qui propter hæresim merito nobilitate priuantur, de quo videri possunt Simanc. tit. 46. num. 68. & Rojas singulari 157.

4. Sed quæres, an hæc pœna ipso facto, & ante sententiam etiam declaratoriam criminis incurrat. Negat Sancius libro 2. Decalog. cap. 26. num. 1. & cum illo Farinae. supra quæst. 189. num. 56. Respondetur tamen affirmando, in quo authores ferè conueniunt, Castro libro 2. cap. 5. & 9. Simanc. supra num. 66. & Rojas in singulari 81. Penha in Direct. 1. part. comment. 4. qui alios citat, & colligitur apertè ex dictis iuribus: nam addunt particulam *ipso iure*: & quòd per talem legem declarantur infames. Est autem hæc pœna ex illis, quæ sine vlla controuersia inferri possunt sine actione iudicis, quia in sola priuatione consistit, & externam executionem positivam non requirit. Ex quo inferitur, hæreticum quantumvis occultum per accidens, statim incurere hanc pœnam, sicut incurrit censuram, quia quoad hoc est eiusdem rationis cum censura, & similibus verbis fertur.

5. Statim autem oritur dubitatio, quia videtur repugnantia, quod homo fiat infamis per delictum occultum, cum infamia in notitia aliorum consistat. Quod dubium tractauit latè in tom. 5. disp. 48. sect. 1. vbi videri potest: summa doctrinæ est, per tale delictum statim incurri infamiam quoad effectus iuris, qui sunt inhabilitates ad officia &c. quàmvis substantia ipsa infamiz (vt sic dicam) quæ in facto, & actuali notitia aliorum consistit, non statim incurrat.

6. Tertia pœna in hoc genere, est priuatio spiritualis potestatis. Est autem supponendum, duplicem esse potestatem spirituales in Ecclesia, scilicet ordinis, & iurisdictionis. Prior datur per aliquam ordinationem, & dirigatur per se primò ad conficienda sacramenta, & consequenter ad efficienda sacramentalia. Potestas autem iurisdictionis ordinatur ad actus iudiciales, vel in foro interno, vel in externo. In hoc ergo tertio puncto solum agimus de potestate ordinis: circa quam fuit antiqua opinio, quòd hæretici eo ipso priuentur hac potestate,

vt refert Castro libro 2. de iust. heret. punit. cap. 21. vbi illam tribuit Magistro, & Gratiano, & potest etiam tribui aliquibus Iuristis, qui absolute dicunt, priuari hæreticum omni potestate spirituali, vt videri potest in Simanc. tit. 46. num. 58. & sequentibus. Et suaderetur ex quibusdam decretis asserentibus, ordinationes factas ab Episcopis hæreticis esse irritas Cap. *Arrianos* 1. quæst. 1. Cap. *Conuenientibus*, & Cap. *si qui voluerint* 1. quæst. 7. & Cap. *ordinationes* 9. q. 1. Non potest autem illud esse verum, nisi Episcopus priuetur potestate ordinis, alioqui data potestate, actus esset validus, cum iurisdictionem essentialiter non requirat.

7. At verò Castro supra distinguit inter potestatem ordinis ad conficienda sacramenta: vel sacramentalia, & de priori reprobat dictam sententiam: de posteriori autem affirmat, & posse per Ecclesiam auferri, & de facto tolli ab hæretico ministro. Primum probat, quia hæc sacramentalia per Ecclesiam sunt instituta: ergo potest illa reuocare: ergo etiam potest potestatem ad illa conficienda auferre. Secundum autem probat ex Cap. *Ecclesiis*, vbi dicitur Ecclesias consecratis ab his, qui non habent fidem Trinitatis, esse iterum consecrandas, & idem dicitur in duobus capitulis sequentibus, & de paramentis altaris ab hæreticis benedictis idem dicitur in cap. *Agapitus*, de Consecr. distinct. 4. ergo signum est, hæc sacramentalia facta ab hæretico, esse nulla, alioqui non essent iteranda: ergo priuatur huiusmodi potestate.

8. Ad definiendam veritatem, oportet distinguere inter potestatem ordinis quoad substantiam eius, (vt sic dicam) vel quoad vsum, & in ipso vñ distinguenda sunt duo, scilicet, vel quod rectè, & honestè fiat, vel quòd ritè, & valide fiat. Item hoc secundum distinguendum est ferè simili, seu eadem distinctione, quia potest actus esse validus quoad dandam consecrationem, vel potestatem aliquam expeditam ad omnem vsum eius, vel tantum ligatam, & quali suspensam. Et quando datur hoc posteriori modo, quantumvis quoad substantiam, (vt ita dicam) apud Deum valida sit consecratio, & ordinatio: nihilominus in ordine ad vsum recipientis talem ordinationem, censetur quasi irrita, & ita solet in foro Ecclesiæ appellari.

9. Primò ergo certum est, potestatem ordinis quoad suum esse, & substantiam suam, non auferri propter hæresim. Hoc est de fide certum, vt tradit Diuus Thomas 2. 2. quæst. 39. art. 3. & dixi latius tom. 3. in 3. part. disput. 3. sect. 4. Ratio est, quia hæc potestas datur per characterem indelebilem: ergo non potest auferri, quia character non deletur. Cuius signum etiam est, quia clericus hæreticus emendatus, & punitus per Ecclesiam, non ordinatur iterum, vt possit ad vsum ordinum restitui. Et ratio à priori est, quia neque Ecclesia potest hanc pœnam imponere, cum characterem auferre non valeat: neque etiam ipso iure diuino amittitur, amissa fide: quia non fundatur in illa, sed ad summum in characterem baptismali, nec de tali iure diuino constare potest. Alioqui etiam per hæresim mentalem hæc potestas amitteretur, quod valde absurdum, & inordinatum esset. Atque hinc fit, vt actus huius potestatis, qui intrinsecè iurisdictionis non requirit (sicut requirit absolutio sacramentalis) validus sit quoad substantiam, vel vt ita dicam, quoad proprium, & per se effectum eius. Itaque hæreticus etiam declaratus, & denunciatus consecrans iuxta ritum Ecclesiæ, verum conficit sacramentum, & Episcopus similiter hæreticus ordinans Sacerdotem debito ritu, illum efficit verum Sacerdotem, & sic de aliis. Hoc etiam est de fide, quia non potest Ecclesia impedire, quin verum fiat Sacramentum cum suo effectu, quando fit à ministro habente potestatem, & applicante debitam materiam.

Suaderetur
varijs decr.
tis.2. Opinio
Castri.Notatio pro
decisione.Præsumptum
debet
certum con-
tra 1. opi-
nionem.Acceditur
titio.

materiam, & formam sine obie ex parte recipien-
tis, ut in materia de sacram. latius probatur, & ci-
tato loco videri potest.

10. Secundò dicendum est, hæreticum privari
vfu potestatis ordinis, ita vt neque rectè aut hone-
stè possit illum exercere: neque omnino ritè quoad
forum Ecclesiæ. In hoc sensu intelligendi sunt Ma-
gister, & Gratianus, vt à graui errore illos excuse-
mus, & prior pars, etiam iure diuino probari po-
test, quia hæreticus est indignissimus illo ministre-
rio: iniquus autem minister iure diuino prohibitus
est in eo statu sacramenta ministrare, vt notum est.
Deinde per Ecclesiam addita est specialis prohibi-
tio, ratione cuius, etiam si hæreticus apud Deum
resipiscat credendo, & penitentiam agendo, nihil-
ominus non possit licitè sic ordinem exercere, do-
ne per Ecclesiam absoluitur. Hoc enim non est
de iure diuino, vt constat: ergo est de Ecclesiastico.
Existimo tamen prouenire hanc prohibitionem ex
ipsa censura excommunicationis, quatenus virtu-
te includit suspensionem ordinis. Altera vero pars
probat ex iuribus allegatis pro prima sententia:
nam licet ordinatio facta ab hæretico valeat, quan-
tum ad conferendum ordinem: nihilominus sic
ordinatus non recipit vsum ordinis, sed suspensus
manet, & quoad hoc dicitur illa ordinatio aliquo
modo irrita quoad acceptationem Ecclesiæ, & ita
loquuntur dicta iura, & communiter sic exponun-
tur à Glossis, & Doctoribus ibi, & videri potest Co-
uar. in cap. Alma mater. l. p. §. 6. n. 6: & quæ dixi in
citato loco de Sacramentis.

11. Tercio, & ultimo addo, probabilius esse, idem
dicendum esse de potestate conficiendi sacramen-
talia. Itaq; aqua V. g. benedicta à sacerdote hæretico
debito ritu, benedicta manet, idem de Ecclesia con-
secrata ab Episcopo, & similibus. Ita tenet Glossa in
dicto cap. Ecclesiis, & sequentibus, & optimè expo-
nit, illa iura intelligenda esse, quando hæreticus nō
seruat ritum Ecclesiæ Catholicæ. Ratio est, quia ibi
concurrunt omnia necessaria ad valorem actus: nam
ex parte ritus id supponitur, ex parte verò potesta-
tis probabile est, non posse Ecclesiam illā auferre,
supposita institutione sacramentalium, quia etiam
datur ex vi characteris. Quicquid verò sit de pote-
state Ecclesiæ, multo certius est, non abulisse hanc
facultatem, quia talis pena scripta non inuenitur,
neq; ex aliquo vfu Ecclesiæ colligi potest, neq; erat
consentaneum relinquere potestatem maiorem ad
conficienda sacramenta, & negare ad sacramenta-
lia, quæ quasi accessoria sunt.

12. Quarta pena in hoc genere est privatio po-
testatis iurisdictionis, præsertim Ecclesiasticæ in v-
troq; foro penitentis, & iudiciali, atq; etiam exten-
ditur ad iurisdictionem ciuilem, seu temporalem.
Ita docet D. Tho. 2. 2. q. 39. art. 3. & Soto in 4. d. 20.
q. 1. art. 3. & Castro d. lib. 2. cap. 23. & Azor. tom. 1.
lib. 8. cap. 11. q. 7. & 13. q. 7. & Simancas dict. tit. 46.
nu. 62. & sequentibus. Et absolutè est vera senten-
tia, si rectè explicetur, & illam explicando, eam et-
iam probabimus. Duobus enim modis intelligi po-
test privari hæreticum iurisdictione, scilicet, vel ex
vi ipsius heresis, nulla interueniente punitione Ec-
clesiæ, vel ex peculiari lege poenali Ecclesiæ, quæ lex
cogitari potest vel specialis, & proptia, vel in ex-
communicatione inclusa.

13. Primo igitur Castro proximè citato loco di-
cit, hæreticum privari iurisdictione saltem Ecclesi-
astica priori modo, ac proinde ex vi iuris diuini. Fū-
damentum est, quia hæreticus ex vi heresis præ-
scinditur ab Ecclesia, & definit esse mēbrum eius:
ergo amittit omnem iurisdictionem in illam. Ante-
cedēs supponitur ex materia de Ecclesia, de qua su-
pra disp. 9. seet. 1. n. 5. Consequentia probatur, tum
quia in nulla republica aliquis habet iurisdictionē,
nisi pars sit illius reipublicæ: tum etiam quia nemo

habet iurisdictionem in Ecclesia, nisi sit caput eius,
aut saltē per influxū à capite: vel aliter, nisi sit caput,
aut primum, & vniuersale respectu totius Ecclesiæ,
vel proximum, & particulare respectu alicuius par-
tis Ecclesiæ. Neutro autem modo potest hæreti-
cus habere iurisdictionem Ecclesiasticam, quia cum
non sit membrum, multo minus potest esse caput,
aut primum, & vniuersale, quod principalissimum
membrum Ecclesiæ est: aut proximum seu particu-
lare, quia etiam illud esse debet ex præcipuis mem-
bris. Neq; etiam potest habere hanc iurisdictionem
per influxum à capite, quia caput non influit, nisi in
membra corpori vnita. Et ideo in Conciliis, & de-
cretis sæpè dicitur, hæreticos omni Ecclesiastica iu-
risdictione indignos esse.

14. Nihilominus hæc sententia vera non est, & vt
existimo, neq; probabilis, illamq; impugnat Caieta.
tom. 1. opuscul. tract. 1. de potestate Pontif. c. 18. & 19.
& Soto in 4. d. 22. q. 2. art. 2. sumitur ex Syluestro.
verb. Confessor. l. q. 19. & 20. Panorm. & Innoc. in
cap. Veritas. de dolo, & contumacia, Nauar. conf.
10. de Hæret. & Sanc. dict. lib. 2. capite 9. num. 10.
Ratio est, quia fides, non est fundamentum omni-
nò necessarium iurisdictionis Ecclesiasticæ, vel
contrario hæreticus non est incapax omnino iuri-
isdictionis Ecclesiasticæ: ergo non perditur talis iu-
risdictio per hæresim, ex vi iuris diuini. Conse-
quentia euidens est, quia illud ius non potest esse
quasi naturale, cum ex natura rei illud res scilicet
iurisdicctio, & fides, non sint necessario conne-
xa: neque etiam tale ius diuinum positum est,
quia nullibi ostendi potest, neque in lege gratiæ
similia positiua iura inueniuntur. Antecedens au-
tem probatur primò, quia absolutio data ab hære-
tico in extrema necessitate, est valida, vt habet
communis doctrina in quarto, distinctione 18. ergo
habet iurisdictionem. Secundò, quia alijs per
hæresim mentalem amitteretur iurisdicctio etiam
Pontificalis, quod Castro consequenter concedit:
est tamen absurdissimum, & contra rectam Eccle-
siæ institutionem, quia alijs Papa Verbi gratia, qui
semel incidit in hæresim mentalem, deberet renun-
ciare Pontificatu, vel in illo permanere fictè,
& sine vera iurisdictione, quorum primum est
moraliter impossibile, & secundum Ecclesiæ
perniciiosum. Et hoc incommodum ferè eodem
modo sequitur, etiam si id afferat de hæresi exter-
na per accidens occulta, & applicari potest ad Epi-
scopos, & ad alios Pastores, & Iudices Ecclesiæ.
Vnde etiam repugnat illa doctrina antiquæ Eccle-
siæ consuetudini, quæ Episcopos hæreticos retra-
dantes hæreses, aliquando in suis muneribus, &
dignitatibus recipiebant sine noua Episcopatus con-
cessione, vt ex Conciliis Nicæno, & Chalcedo-
nensi colligitur, & ex Capit. Conuenientibus cum
alijs l. quæst. 7. ergo signum est, ex vi solius hære-
sis non amitti Episcopatum, vel iurisdictionem
eius. Neq; obstat fundamentum contrariæ senten-
tiæ, quia licet hæreticus sit indignus iurisdictione,
potest in illa tolerari propter iustam causam:
neque est incapax illius, quia & sufficit character,
& Deus operari potest per membra præcisa, & se-
parata, præsertim quia hæreticus semper manet
sub iurisdictione Ecclesiæ, & ita etiam durat capax
illius.

15. Dicendum ergo est, hæreticum privari hac
iurisdictione per Ecclesiam, hanc penam impo-
nentem. Non inuenitur autem ius, in quo hære-
na specialiter, & vt ab alijs distincta, ipso iure im-
ponatur: & ideo relinquatur, solum imponi, vt est
inclusa in excommunicatione. Et ita loquutus est
Diuus Thomas, & alij authores proximè citati, at-
que etiam Soto, & Azor prius allegati. Sed isti duo
non considerant D. Thomam esse loquentum se-
cundum ius antiquum, & ideo dixerunt, etiam
nunc

Impugnatio

Impugnatio

Secundum

Tertia

Ad fundam. Castro.

satisint ve-
ra sententia

Soto, & A-
zor, animad-
uertuntur,

nunc priuari hæreticum iurisdictione, etiam si sit per accidens occultus. Hoc autem nunc subsistere non potest, iuxta supra dicta, propter extrauagantem *Adeuandam*, & ideo dicendum est, hæreticum quoad se (vita dicam) statim priuari iurisdictione, etiam si per accidens occultus sit, quia non potest licite illa vti. Quoad alios vero, non priuari, sed tolerari in illa, donec per sententiam declaratur, vt rectè dixit Syluest. verb. *Hæresi*, nu. 16. quia absolutio data ab huiusmodi heretico per se loquendo, valida est, sicut data à quolibet alio excommunicato non denunciato. Idem est de qualibet alia sententia, vt ex materia de Excommunicatione constat.

De pena priuationis beneficiorum.

16. Quinta pena est priuatio beneficiorum Ecclesiasticorum, quæ ferè eodem modo, ac præcedens declaranda est. Nam in primis est certum, nec latam esse, nec sequi ex vi solius iuris diuini, vt probant supra adducta, cum proportionem applicata. Nam si Pontificatus, vel Episcopatus non amittuntur hoc modo, ex vi solius diuini iuris, cur amittuntur inferiora beneficia? Deinde est certum, hanc penam esse impositam iure Ecclesiastico, quod statim afferemus. Dubitant autem Auctores, an sit hæc pena ipso iure lata, ita vt hæreticus externus, quantumuis occultus statim amittat beneficium: An tantum sit pena ferenda, ita vt non perdat quis beneficium, donec per sententiam illo priuetur. Possunt autem in beneficio duo distingui, scilicet spirituale ius, & temporale annexum, quod in fructibus, & emolumentis consistit. Hæc ergo pena principaliter versatur circa primum: nam iuxta illud iudicandum est de reliquo: necessarium enim sequitur principale.

An sit ipso iure lata, an ferenda.

1. Sententia.

17. Est ergo prima sententia, quæ affirmat, hæreticum externum ipso iure, & ante omnem sententiam latam, & licet occultus per accidens sit, priuari statim omnibus beneficiis Ecclesiasticis. Ita tenet Bernard. Diaz in practica criminali. cap. 114. & refert multos, quorum opinionem magis probat Couar. libro 2. Variar. capite octauo, numero 4. & eandem supponit in cap. *Alma mater*. 1. parte cap. 2. num. 9. quatenus dicit, beneficium hominis hæretici posse impetrari, & conferri ante sententiam contra illum latam. Et idem confirmari videtur ex quodam motu proprio Pij V. relato in Directorio Inquisitorum circa finem, in quo referuat Sedi Apostolicæ beneficia hominis hæretici à die commissi criminis: ergo signum est, ex tunc vacare. Ita colligit ex illo Motu proprio Penha defendens acriter hanc sententiam in Director. 3. p. comment. 162. vbi etiam assert doctrinam Locati in fine operis iudicialis, dicentis tantum esse, vt resignationes beneficiorum ab hæretico factæ non valeant à die commissi criminis, quia beneficium iam vacat: ergo signum est, ipso facto amitti. Idem tenet Nauar. conf. 19. de Hæret. & Sancius referens plurimos dicto libro 2. capite 26. num. 6. & idem tenui in tomo 5. disputatione 43. sect. 1. num. 4. & nouissimè citatis aliis Garcia de Beneficiis parte 11. cap. 10. nu. 60. Farinae. de hæresi questione 189. à num. 69. & in fauorem huius sententiæ tria iura allegantur, scilicet, cap. *Quo iure* dist. 8. cap. *Ad abolendam*. §. 1. de Hæret. ibi. *Spoliatus beneficiis*, quod verbum executionem significat, & cap. *Vt commissi* de Hæret. in 6.

2. Sententia contraria præced.

18. Nihilominus contrariam sententiam, scilicet, hanc partem non incurri ipso iure donec per iudicem imponatur, defendit Castro. lib. 2. de Pun. hæret. cap. 9. & Sequitur Simanc. titulo 46. nu. 71. & 72. & Ludouic. Gomez. in regula de Annali possessor. quæst. 54. Vasquez. 1. 2. disput. 172. cap. 2. num. 11. Henriq. lib. 13. de Excommunicat. cap. 56. num. 2. Fundamentum est, quia in primis beneficia non amittuntur, amissa fide, quasi per necessa-

Fundam. 1.

riam sequelam ex vi iuris Diuini, vt à fortiori probant dicta in præcedenti puncto. Deinde quia in iure canonico non inueniuntur verba, quæ satis significant, illam penam per ipsam legem executioni mandari ipso facto. Quod breuiter ostendo discurrando per allegata iura. Nam in primis dictum capit. *Quo iure* solum est quædam sententia Augustini, & non fert legem Ecclesiasticam, sed refert Imperatoriam, quæ de spirituali pena nihil poterat statuere, & præterea verba sunt: *Nihil nomine Ecclesie audeat possidere*, quæ non possunt verificari, nisi post sententiam latam, vt patebit: neque etiam in rigore aliud requirunt. Secundum verò cap. *Ad abolendam*, induci potest in contrarium: nam prius dictum fuerat, hæreticum clericum esse degradandum, & postea additur, *Beneficia spoliata esse tradendum &c.* ergo potius significatur spoliari beneficiis per factum hominis, quam per legem ipsam. In tertio verò cap. *Vt commissi*, verba sunt *Priuandi, vel priuatos nunciandi beneficiis Ecclesiasticis*, quod ita ab aliquibus exponitur, vt particula, vel expositiue sumatur, vt sensus sit, priuandi, id est, priuatos denunciandi. Ita Penha cum aliis: Couarruias autem exponit per partitionem accommodatam, id est, quod hæretici declarentur priuari: complices autem hæreticorum priuandi sint. Sed vtrique expositio videtur voluntaria, & rigorosa, in materia penali. Vnde videtur facilius dici posse, Pontificem sub disunctione fuisse loquentem, quia noluit modum determinare, in quo sensu ille textus potius fauet huic sententiæ. Neque enim Mortus Pij V. rectè inducitur, quia ibi solum referuntur beneficia vacans propter hæresim, quando autem, vel quomodo vacare incipiat, non declaratur. Ad denique quod resignatio sit nulla à die commissi criminis, nullo iure declaratur. Ex quib. concluditur argumentum, quia pena non incurritur ipso iure, nisi ita sit iure expressum, sed in ista hoc non inuenitur: ergo. Accedit, quod in capite *Excommunicamus* 1. 6. *Credentes*, de Hæret. dicitur, *Credentes &c. esse depnendos, seu beneficiis priuandos*, quæ verba solent de complicibus explicari: at verò credentes etiam hæretici sunt, vt supra tetigi, & infra latius dicendum est.

19. In hoc puncto existimo posse dictas sententias aliquo modo conciliari, ita vt prior moderanda sit, vt non procedat de perfecta amissione beneficii, etiam quoad proprietatem, vt sic dictam: secunda verò extendenda sit, vel ita interpretanda, vt non neget aliquo modo amitti beneficium, vel potius quasi confiscari ipso facto, & ante omnem sententiam. Ad quod explicandum dico in primis, hæreticum, ante latam sententiam, non teneri ad dimittendum beneficium, neque se spoliandum. Vnde si nunquam denuntietur, & secretò respiciat, tuta conscientia potest illud retinere, nulla collatione noua, vel prioris confirmatione postulata. Ita docent multi etiam ex auctoribus primæ sententiæ, vt Salzedo in scholio ad Bernardum Diaz, & Sancius, qui plures alios allegat. Et hoc ad minimum continent fundamenta secundæ sententiæ. Et ex hoc optimè colligitur, non fuisse amissum beneficium, quoad proprietatem ipso facto, aliàs non posset iuste retineri, præsertim perpetuò, sine noua collatione. Et hinc etiam sequitur, tuta conscientia retinere hæreticum fructus talis beneficii, quando sententia contra ipsum non profertur, si alioqui suo muneri satisfecerit, quia est verè Dominus beneficii.

20. Secundò dicendum est, ante omnem sententiam amitti aliquod ius circa beneficium ipsum, seu quasi infirmatur prior titulus, aut veluti confiscatur. In hoc sensu vera est prima sententia, & maxime ostenditur ex illo effectu, quod beneficium impetrari potest à die commissi criminis, & resignatio ab

Confirm.

Deciso iur. theoric per duo pronu.

1. Frontu.

Confi. & sic quid?

2. Frontu.

tio ab illo facta ab eodem tempore, inualidari. Nam licet de hoc effectu non constet proprio, & speciali iure, satis est, quod vsu, & stylo curiarum probetur, & mea sententia comprehendere potest in cap. Cum secundum leges, de Hæreticis in 6. Ex quo etiam constat, omnes fructus ex tali beneficio perceptos, ab eodem die esse confiscatos, & ideo hanc vocavi quasi confiscationem beneficii, quæ ex dicendis de propria aliorum bonorum confiscatione, magis elucidabitur. Aduertendum hic est, collationem noui beneficii factam hæretico, ipso iure esse nullam: ita vt nec post conuersionem possit illud retinere absque noua concessione, vt constat ex cap. 2. Paragr. Hæretici, de hæreticis in sexto, & Doctoribus quos refert, & sequitur Sanchez citato c. 26. n. 4. & Garcia part. 11. cap. 10. n. 72. & 80. & Azor tom. 1. institut. moral. lib. 8. c. 13. q. 8.

DISPUTATIO XXII.

De temporali poena hæreticorum, quæ fit per confiscationem temporalium bonorum.

Dicitur spirituales poenas, dicendum sequitur de temporalibus, quæ bonis etiam temporalibus priuantur, in quo ordine solent distinguere tria genera bonorum, scilicet, vitæ, seu corporis, famæ, & fortunæ. De infamia, quæ opponitur secundo generi bonorum dictum iam est, propter rationem superius tactam. Poenas autem priuantes bonis primi generis nos corporales vocamus, de quibus disputatione sequenti dicturi sumus. Hic ergo solum agimus de poenis, quæ priuant bonis fortunæ, seu externis, & has vocamus speciali modo temporales, omnesque sub confiscatione bonorum comprehenduntur, quia in illo genere nulla maior poena esse potest, & in illa tanquam partes in toto reliquæ omnes continentur. Hæc igitur confiscatio à nobis declaranda est, quantum Theologis utile fuerit, & breuitas temporis permiserit: nam quæ iurista de illa tradunt, ferè infinita sunt.

SECTIO I.

Vtrum confiscatio bonorum sit poena ipso iure hæreticis imposita, & quæ ab illis, ipso facto, & ante omnem sententiam incurratur?

Primum omnium necessarium est vocem exponere, & in primis quoniam confiscatio dicitur habitudinem ad fiscum, sciendum est ex Augustino Psal. 146. in fine, & Isidoro lib. 20. Etymolog. c. 9. Fiscum significare sacrum publicum, in quo pecunie publicæ reponuntur, id est, ærarium, seu thesaurum bonorum, seu iurium Regalium. Vnde lege secunda in principio ff. Nequid in loco publico: bona propria Principis res fiscales dicuntur. Et secundum communem vsum solus Rex, vel Princeps supremus dicitur habere fiscum. Et claritatis gratia, possumus distinguere duplicem fiscum, scilicet civilem, qualis est regius, & Ecclesiasticum, qualem habet Pontifex, & suo modo possunt habere Episcopi, vel particulares Ecclesiæ. Hinc ergo confiscatio bonorum dicitur quædam specialis applicatio bonorum delinquentis ad fiscum, per quam fit, vt & talia bona sint specialiter obligata fisco, & fiscus ipse aliquid ius ad talia bona acquirat. Et hoc modo in lege Procuratores ff. de iure fisci, talia bona dicuntur deuoluta ad fiscum, & in leg. Quisquis C. ad legem Iuliam maiestatis dicuntur addita fisco. Et hæc sufficiunt ad explicationem vocis: nam res ipsa explicando effectus confiscationis declaranda est.

Suarez de Fide,

2. Hoc supposito, dicimus primò, propter delictum hæresis, vtroque iure impositam esse poenam confiscationis omnium bonorum personæ sic delinquentis. Ita iure civili cautum est in lege Manichæos, cum duabus sequentibus, & Authentice, Gazaros. C. de Hæret. & leg. Quisquis, & leg. vltim. C. ad legem Iuliam maiestatis, & in leg. vlt. C. de Bonorum præscriptionibus. In iure autem Canonico est celebris textus in cap. Cum secundum leges de Hæret. in 6. vbi Glossæ, & Doctores, & omnes, qui de hæreticis scribunt. Et ratio redditur, tam in illo textu, quam in aliis, quia leges humanæ puniunt crimen læsæ maiestatis humanæ, imò interdum etiam minora crimina, confiscatione bonorum: ergo multo magis crimen læsæ maiestatis diuinæ, quod per hæresim committitur, tali poenâ puniendum est. Secunda ratio esse potest, quia hæ poenâ infligitur, vt timore illarum homines à delictis abtineant: maxime autem solent homines timere, priuari bonis omnibus, & ideo talis poenâ aptissima est ad homines coercendos. Tertia item ratio addi solet, quia hæretici fiunt sæpè hostes Ecclesiæ, & fidelium, & ideo vt debilitentur vires eorum contra Ecclesiā, priuantur bonis temporalibus, quibus homines ad persequendos hostes maxime iuuari solent.

3. Sed obijci potest: nam hinc sequitur, vt filij innocentes propter peccatum partis puniantur: quod videtur esse contra naturalem æquitatem, quæ iubet, vt poenæ ferantur in auctores delictorum, & non vitra progrediantur, leg. Sancimus. C. de Poenis. Et sequela patet, quia si parentes omnibus bonis priuantur, necesse est, vt filij eisdem careant, & paupertate affligantur. Maxime verò videtur hoc pietati repugnare, quando filij sunt Catholici: nam plus eis fauere debet propria fides, quam paterna perfidia. Ad obiectionem respondetur primò, bona, quæ confiscantur, non esse filiorum, sed parentis: nam si aliqua sunt propria filiorum, illa non confiscantur sine proprio peccato ipsorum, vt infra dicetur. Parer autem suis bonis priuatur propter suum delictum. Quod autem inde consequenter sequatur filiorum egestas, non est considerandum, quia non propterea filius per se punitur, seu in se, sed per accidens sen in alio. Ad dimus verò secundò, interdum ex intentione, & verbis legis, poenam in his temporalibus bonis, vel etiam in infamia directè extendi ad filios propter peccatum patris, quod non est contra æquitatem, sed ad bonum commune necessarium, vt tradit Innocentius Tertius in capite Vergentis, & habetur etiam in lege, Quisquis, §. primo. Cod. Ad legem Iuliam maiestatis. Et ratio est primò, quia filius est quædam res patris, & ideo pater in filio tanquam in re sua puniri potest. Secundò quia hoc modo multum augetur poena ipsorum parentum, propter amorem filiorum, & ita fit vt magis delinquere timeant. Tertiò quia propter atrocitatem delicti, & propter exemplum aliorum, & propter memoriam parentum, quæ in filiis manet, ita sæpè necessarium est. De qua re videri possunt, quæ latè tradit Simancas tit. vigesimo nono. Ad alteram verò partem de filiis Catholicis olim in legibus Codicis addebatur illa limitatio, quod filij Catholici suis legitimis non priuantur, quæ probata etiam fuit in Concilio Toletano 4. capite 60. & habetur in capit. Iudei 1. quæstione 4. postea verò iure nouo Canonico 1. quæstione 4. ablata est limitatio propter rationes tactas, & habetur in dicto cap. Vergenti, de Hæreticis, & magis in epistola originali Innocentij Tertij explicatur.

4. Dico secundò, hanc poenam confiscationis bonorum, latam esse ipso iure, & ita incurri ipso facto, ante omnem sententiam, etiam criminis declaratoriam. Contra hanc assertionem referri solent

1. Assertio, pro prima parte tituli.

Probatur, ex vtroque iure.

Accedit ratio prima.

Secunda.

Tertia.

Obiectio contra proxima resoluta circa quam videri potest late Marinac. de hæres. q. 191. toto Paragr. primo. Confirmat.

Satisf. 1.

Satisf. 2.

Ad confir.

Ff

lent